

libello de tribus Questionibus Gothescalco itidem, ejusque doctrinæ iustitiam. Quin & S. Remigius Archiepiscopus Lugdunensis nomine totius percelebris suæ Ecclesiæ doctrinæ Gothescalci vindicias egit in libro de tribus Epistolis, ubi Gothescalci propositiones de Prædestinatione reprobatorum ad pœnam, de voluntate Dei erga salutem hominum, & de morte Christi Salvatoris nostri, & de generis humani redemptione, Catholicas & doctrinæ Sancti Augustini, totiusque Ecclesiæ consentaneas esse diserte asserit, summæque de damnata Gothescalci doctrina his verbis capite vigesimo quarto ejusdem libri exprimit dolorem: *Et ideo, inquit, in hac re dolemus, non illum miserabilem, seu Gothescalcum, sed Ecclesiasticam veritatem esse damnatam.* Quinto, Patres Concilii Valentini celebrati anno DCCCLV. & Concilii Lingonensis habiti 859. damnarunt quatuor Capitula, quæ contra Gothescalcum in Synodo Carisiaca condita fuerant, eaque repudianda esse sanxerunt *propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati, ut latius expendemus in proximo Colloquio, agendo de Conciliis, quæ nono Ecclesiæ sæculo coacta sunt.* Porro, credibile non est, tot Catholicos Scriptores, universam Ecclesiam Lugdunensem, & Patres Conciliorum Valentini, & Lingonensis in defensionem Gothescalci doctrinæ tanto ardore conspirare voluisse, si revera Gothescalco circa Prædestinationem, circa voluntatem Dei salvandi homines, & pretium Sanguinis Christi pro salute hominum effusi, errores tam graves, qui ipsi affinguntur, disseminasset. Denique, Nicolaus I. Pontifex Maximus ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo sapius licet rogatus, ut Gothescalci doctrinam Pontificia auctoritate damnaret, nunquam tamen adduci potuit ut eam proscriberet, quia probe videbat Sanctissimus ille Pontifex latere anguem in herba, & per Gothescalci latus peti doctrinam Sancti Augustini, in qua Gothescalco a deo versatus erat, ut, teste ipsomet Hincmaro, sententias Aquilini illius Doctoris totas dies memoria proferre solitus esset. His & aliis compluribus momentis, quæ lato, & diserto calamo prosequitur Vir Clarissimus Gilbertus Mauguinus Tomo secundo libri *Vindiciarum Prædestinationis & Gratiæ*, asserunt Viri quidam eruditi, Gothescalcum circa Prædestinationem & voluntatem Dei salvandi homines, non aliam, quam Sancti Augustini, & totius Ecclesiæ Catholicæ doctrinam pro aris ac focis propugnasse, & in ea profitenda constanter ad mortem usque perseverasse. Addunt etiam Viri illi eruditi, qui Gothescalco patrocinantur, quod cum Gothescalco a Rabano Moguntino Archiepiscopo in Germania, & ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo in Gallia tanquam hæreticus habitus sit, mirum videri haud debet, quod Scriptores cum Germani, tum Galli Gothescalco hæreseos insimulaverint. Annales siquidem Fuldenses, & cæteri Germaniæ Scriptores quidquid litteris consignarunt de Gothescalco, illiusque doctrina, id totum hauserunt a Rabano: Annales vero Bertinia-

ni, Flodoardus, alique Galliarum Scriptores omnia, quæ de Gothescalco, ejusque doctrina narrant, ex libris Hincmari, Archiepiscopi Remensis exscripserunt. Tam caute etiam in Gothescalco actum est, & tam altum ejus ergastuli, seu carnificinæ, silentium fuit, ut hi, qui nono Ecclesiæ sæculo a partibus Gothescalci steterunt, ejusque doctrinæ impense faverunt, *Prudentius, Lupus Ferrariensis, & Rattramus* in Regno Caroli Calvi, *Remigius*, Lugdunensis Episcopus, *Florus* ejusdem Ecclesiæ Diaconus, totaque Ecclesia Lugdunensis sub *Lothario* Imperatore causam miserabilis Monachi Gothescalci non attigerint, soli Orthodoxæ fidei protegendæ, & vindicandæ unice intenti.

D. Adhuc, ut candide fatear, pendulus hæreo, & libratis æqua lance, quæ hinc inde adduxisti, momentis, certum de Gothescalci doctrina non audeo proferre judicium.

M. Hæc de fortuna Gothescalci, & de turbis occasione ejus doctrinæ nono sæculo excitatis utramque in partem compendiose ventilasse sufficiat. Nec enim expedit, ut tot inter Viros eruditos, qui de hoc facto historico etiamnum digladiantur, meum interponam judicium, atque arbitri sedeam. Rem igitur in medio relinquo, & utramque opinionem tuo delectui, & arbitrio permitto. Quod si propendeas in sententiam eorum, qui Gothescalco ab hæresi vindicant, eumque non aliam in tormentis, in carcere, & in morte quam Augustinianam professum fuisse doctrinam autumant; multa in defensionem Gothescalci argumenta tibi suppeditabit mox laudatus *Gilbertus Mauguinus* Galliarum Regi a consiliis, & in suprema Monetarium Curia Præses; Tomo secundo, libri *Vindiciarum Prædestinationis & Gratiæ*, ubi pro Gothescalco amplissimam adornavit Apologiam. Sin vero tibi magis arideat opinio illorum, qui Gothescalco hæreseos notam inurunt, eumque suos errores nunquam ejurasse pertendunt, legere poteris, si tibi per otium liceat, nostrum *Natalem Alexandrum*, qui in Dissertatione quinta in Historiam noni Ecclesiæ sæculi multis probat, Gothescalco iusta de causa ceu Hæreticum fuisse damnatum, & a suis erroribus nunquam respiciisse. Cavere tamen debes a sententia *Sirmondi*, qui in suo *Prædestinato*, sive in Tractatu de *Prædestinatorum Hæresi*, probandum sibi sumpsit, Gothescalco nono Ecclesiæ sæculo recoxisse, seu renovasse Prædestinatorum hæresim, quod oppido falsum est, & veritati Historiæ omnino, contrarium, tum quia, ut ostendimus in nostris Colloquiis in Historiam quinti Ecclesiæ sæculi, nulla quinto sæculo extitit secta, seu Prædestinatorum Hæresis, sed Semipelagiani, qui Sancti Augustini doctrinam de Prædestinatione gratuita ad gloriam totis viribus oppugnabant, omnes Sancti illius Doctoris Discipulos ignominie causa *Prædestinatos* appellabant, quo populi odium in ipsos concitare, doctrinam de Prædestinatione gratuita in bonorum omnium detestationem pertrahere possent; tum quia etiam Prædestinatorum Hæresim, nono

Ecle-

Ecclesiæ sæculo a Gothescalco non fuisse renovatam, ex eo maxime patet, quod cum Hincmarus Remensis Archiepiscopus Gothescalco Prædestinatianam hæresim in faciem illideret, ejusque ora verberaret, Patres, qui Hincmaro resisterunt, & Gothescalco faverunt, Prædestinatianam hæresim aliquando in Orbe extitisse aperte negarunt. Sic enim loquitur S. Prudentius Episcopus Trecentis, capite quarto libri, quem edidit contra Joannem Erigenam: *Tertiam vero Hæresim, quam Pelagianis contrariam asseris, qua ita donum gratiæ predicatur, ut libertas arbitrii funditus auferatur, nec legimus, nec audivimus.* Et postea asserit: *Nescio quem elogio veritatis tue hæreseos denotare volueris, nisi B. Augustini doctorum, quæ præmissimus, immo Catholicorum omnium, fideliter veraciterque sequaces.* Idem omnino sensus fuit *Flori* Ecclesiæ Lugdunensis Diaconi cap. 4. libri contra eundem Joannem Erigenam, qui, instigante Hincmaro Remensi Archiepiscopo, librum adversus Gothescalco composuit, qui a capite ad calcem Pelagianorum erroribus scatet. Cum igitur Patres noni Ecclesiæ sæculi hanc Prædestinatorum hæresim nunquam in Ecclesia grassatam fuisse, diserte profiteantur, falso subinde asserit *Sirmondus*, Prædestinatorum Hæresim, quæ trecentis sæculis, ut ait, in Ecclesia contigerat, nono sæculo fuisse a Gothescalco denuo suscitatum.

D. De duabus prioribus controversiis, quæ nono Ecclesiæ sæculo enatæ sunt, satis huc usque diximus, pergamus nunc ad tertiam disceptationem, quæ eodem sæculo, ut in exordio nostri Colloqui observasti, originem habuit ex modo, quo Christus Dominus prodiit ex utero Mariæ Virginis?

M. Nono Ecclesiæ sæculo in Germania excitata est hæc controversia, an proderit Corpus Christi ex Virgine Maria communi via, an singulari? quam controversiam postea Rattramus Monachus Corbejenis e Germania in Gallias invexit, libellumque edidit de *Nativitate Christi*, qui extat Tomo I. Spicilegii Dacheriani. In hoc libello Rattramus in Germanos qui Corpus Christi ex utero Mariæ Virginis non via communi, sed singulari prodiisse affirmabant, tanquam in Hæreticos durius invehitur his verbis: *Fama est, & quorundam non contemnenda cognovimus relatione, quod per Germaniæ partes serpens antiquus perfidia novæ venenæ diffundat, & Catholicam super Nativitate Salvatoris fidem, nescio qua fraudis subtilitate, subvertere molitur, dogmatizans Christi infantiam per virginis januam vulvæ humane Nativitatis verum non habuisse ortum, sed monstruosè de secreto ventris incerto iramine luminis in auras exiisse, quod non est nasci, sed erumpi.* Tria autem contra illos Germanos probat Rattramus. Primo, ostendit Corpus Christi per naturæ januam, per solemnem parturitionis viam ex utero sacratissimæ Virginis Mariæ processisse. Secundo, Christum vulvæ aperuisse, ac demum, aperuisse, non ut clausam corrumperet, sed ut eam suæ Nativitati ostium aperiret, non quo violaret integritatem, sed quo ventris palatium vacuaret. Ex quibus omnibus in *Graves. Hist. Tom. III.*

ne concludit Rattramus, Christum naturaliter & via communi esse natum. Displicuit, & merito quidem, *Paschasius Radbertus* Monacho itidem Cœnobii Corbejenis hæc Rattrami doctrina. Quamvis enim Rattramus aperte Mariæ virginatatem non negaret in partu, id ipsum tamen quod confitebatur, ex obliquo, seu ex consequenti impugnare & evertere videbatur, ita ut una manu destrueret, quod altera adstruebat. Quamobrem Paschasius Radbertus adversus eum scripsit libellum de *Partu Virginis*, in quo refellit Rattramnum quasi omnino sentiret, Christum communi omnium lege natum esse, neque aliter Virginem Mariam parere potuisse, neque aliter debuisse, quam communi lege nature, & sicut mos est omnium femininarum. Certum est, Rattramnum hac in re sibimetipsum fuisse contrarium, aut saltem sibi parum constantem visum esse. Nam si Christus aperuit uterum, sicut ipse contendebat, quomodo per clausum exivit? Quis, amabo, non videt, hoc esse purum hominis calidum simul & frigidum ex eodem ore persantis, aut non sincere agentis effugium? Præterea, Rattramus suorum adversariorum, idest, Germanorum mentem non vere expressit, aut non plene assecutus est; quando capite secundo sui libelli innuit, illos sensitse, Christum non per viam communem, sed per aliam corporis partem penetrando prodiisse. Neque enim alia fuit super hac re Germanorum sententia, quam Paschasii Radberti, qui omnes id unum dumtaxat volebant, Christum via quidem communi, sed clauso virginali sigillo, non communi modo, ex utero Mariæ Virginis in lucem prodiisse. Plura legis paras. 2. Dissertationis primæ Tractatus, quem publici juris feci de *Mysteriis & annis Christi*, ubi late disserui de modo, quo Corpus Christi Domini exivit ex utero Mariæ Virginis.

Aliam controversiam eodem Ecclesiæ sæculo nono habuit Rattramus cum quodam ejusdem Cœnobii Corbejenis Monacho, qui unam in omnibus hominibus animam esse pertendebat. Istius controversiæ quæstionis statum Rattramus in Tractatu, quem adversus hunc Monachum composuit, & quem doctissimus *Mabilionius* in Præfatione partis II. sæculi IV. Benedictini testatur, se legisse in membraneo Codice Bibliothecæ Monasterii Sancti Eligii apud Noviomum, exponit his verbis: *Dicit namque, seu ille Monachus, contra quem scripsit Rattramus, quod omnis homo unus sit per substantiam, & omnis anima rationalis una sit anima per substantiam. Quod si ita est, sequitur ut non sit nisi unus homo, & una anima, quod absurdissimum fore conspicit prudentia vestra.* Hanc de unitate, vel multiplicitate animæ controversiam ad fidem & Religionem spectare non solum putavit Rattramus nono Ecclesiæ sæculo, sed idem etiam visum est sancto *Thoma* Doctori Angelico, & omnibus post ipsum Theologis, qui *Averrois* unicum hominum intellectum asserentis errorem confutarunt. Hinc Patres Concilii quinti Lateranensis sub Leone X. Summo Pontifice celebrati solemnibus decreto sessione octava, quæ habita est die XIX. mensis De-

H

cem-

cembris anni MDXIII. definirunt, animam hominis immortalem esse, atque in pluribus hominibus non unam, sed plures animas esse, & eos, qui contrarium docent, tanquam hæreticos vitandos & puniendos esse sanxerunt. Verum, ut cordate fatear, hanc de unitate, vel multiplicitate animæ controversiam, quæ ex Philosophiæ principis ortum habuit, nunc facili negotio conciliant Philosophi, qui in suis Scholis, & Pulpitis docent, unam in omnibus hominibus esse animam unitate specificam, sed non unitate numerica, quia pro Corporum, quibus infunditur, multitudine multiplicatur. Hac solemnè Scholarum distinctione evanescit, & in fumum abit illa controversia, quam nonnulli Dialecticæ argutiis plus æquo indulgentes in Ecclesia olim excitarunt.

D. Veniamus nunc ad celebrem illam controversiam, cui nono Ecclesiæ sæculo occasionem, & initium præbuit schisma Phorianum, seu a Phorio Patriarcha Constantinopolitano constitutum.

M. Photius, ut jam diximus in secundo Colloquio, postquam Sedem Constantinopolitanam invasisset, & S. Ignatium legitimum Patriarcham, malis artibus Gregorii Syracusani Episcopi, & Bardæ avunculi Imperatoris, e solio Patriarchali dejecisset, crudelem persecutionem movit, non solum in Sanctum Ignatium, quem, mutatis sæpius carceribus & exilii locis, atrociter vexavit, sed etiam in Præsules, Clericos, Monachos, bonosque omnes, qui Sanctissimi Patriarchæ innocentiam libere tuebantur, & de injusta ac violenta ejus depositione conquerebantur, desæviit. Qua agendi ratione plurimos Episcopos & Clericos, seu metu exilii deterritos, seu spe præmiorum illectos, partibus suis adjunxit, iisque in Synodi speciem congregatis Sanctum Ignatium solemnè iudicio exautoravit, perculitque anathemate, quo facilius populum ab ejus communione abstereret. Dein, versipellis ille Pseudo-Patriarcha Legatos ad Nicolaum I. Romanum Pontificem misit, ut ab eo ordinationis suæ confirmationem impetraret, literasque dedit, quibus subdole significabat, Sanctum Ignatium morbo & senio jam confectum, Constantinopolitano Patriarchatu sese sponte abdicasse, & in ejus locum, suffragiis omnium Metropolitanorum totiusque Cleri seipsum susceptum esse, vimque ab Imperatore Michaeli sibi factam mentiebatur, ut Patriarchalis throni fastigium ascenderet. Lectis & diligenter examinatis literis Phorii, Nicolaus I. Summus Pontifex Legatos misit in Orientem, quibus in mandatis dedit, ut inquirerent, quam ob causam Ignatius Episcopatu cessisset, & utrum in ejus depositione, Canonum tenor fuisset observatus? Constantinopolim cum pervenissent Sedis Apostolicæ Legati, seu minis concussi, seu muneribus a Phorio vaserimo sycophanta inescati, ministerium suum sæda prodicione deonestarunt, & favorem omnem ac patrocinium ei polliciti sunt. Ea Legatorum ignavia in securitatem elatus Photius Synodum Constanti-

nopoli coegit, in qua assentientibus Legatis Summi Pontificis Rodaldo videlicet Portuensi, & Zacharia Anagninæ Antistite, S. Ignatius damnatus ac Sede depositus, nulla veritatis & æquitatis, nulla Sacrorum Canonum disciplinæ Ecclesiasticæ habita ratione. Hæc ubi perspecta habuisset Nicolaus I. Legatos Constantinopolim a se missos, tanquam indignos prævaricatores damnavit, & habita Romæ Synodo Photium profcripsit, Sede deposuit, & Ignatium legitimum Patriarcham restituit. At, statim ac Photius accepisset, se profcriptum fuisse Romæ velut Sedis alterius, Ignatii scilicet, invaserat; clasticum cecinit, & in rabiem actus literas Encyclicas ad Orientis Patriarchas contra Ecclesiam Romanam dedit, Nicolaum primum Romanum Pontificem semel & iterum duobus in Conciliabulis a se Constantinopoli congregatis (proh scelus!) anathemate feriit, & tractatum edidit adversus Latinorum dogmata, eorumque mores, cujus nonnulla fragmenta passim extant in Operibus Leonis Allatii. Nec his contentus Photius, ut schisma, quod meditabatur, magis ac magis promoveret, persuasit Michaeli Imperatori, & Bardæ Cæsari ejus avunculo, ut decretum de Fide emitterent, quo Latinorum de Spiritu Sancti a Patre & Filio processione doctrina, insuper & Presbyterorum Romanorum vita cœlebs, jejunium Sabbati, & alia ejusmodi Latinorum disciplinæ Capita acriter perstringerentur. Nulla quidem hujusce Imperialis Decreti memoria impræsentiari superest apud Græcos, Rarrannus tamen Monachus Corbejenfis Scriptor cœvus, & testis locuples, qui calumnias, quas Græci impingebant Latinis, quatuor libris dedita opera confutavit, diserte asserit initio libri primi, hoc Decretum datum esse ab Imperatoribus Michaeli, & Basilio: sic enim habet: *Oppositorum, quibus Michael, & Basilius Græcorum Imperatores Romanam Ecclesiam insamare conantur, vel falsa, vel heretica, vel irreligiosa fore cognoscuntur. Istud Græcorum Imperatorum Decretum, simul & famosos libellos, quos Photius adversus Ecclesiam Romanam scripturierat, a Nicolao primo Summo Pontifice ad Galliarum Episcopos fuisse missos, ut eos resellerent, & laboranti Ecclesiæ succurrerent, colligitur ex Epistola Hincmari Archiepiscopi Remensis ad Odonem Antistitem Bellovacensem: Dominus Apostolicus, inquit Hincmarus, communiter nobis & aliis Episcopis Regni Domini Nostri Caroli Epistolam misit, in qua continetur, quod Græci tam Ecclesiam Romanam specialiter quam omnem generaliter, que lingua latina utitur, conantur reprehendere, quia jejunamur in Sabbatis, quod Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere dicamus, cum ipsi hunc tantum ex Patre procedere fateantur. Dicunt præterea, nos abominari nuptias, quia Presbyteros sortiri conjuges inhibemus: quod tamen Christum nos ex aqua suminis conficere fallaciter arbitrantur, reprehendere nihilominus moliantur: eo quod octo hebdomadibus ante Pascha a carnium, & septem hebdomadibus a casei & ovorum esumore suo non cessamus.*

Has

Has Græcorum confutandi objectiones sibi a Nicolao I. Romano Pontifice demandata provincia impigre, & egregie defuncti sunt Episcopi Gallicani. (a) Non respuit tamen Photius, nec a Sede Patriarchali Constantinopolitana, quam injuste invaserat, nec a schismate, cujus ipse auctor erat, recedere voluit. Quare, ut his Ecclesiæ, præsertim Constantinopolitanæ, malis præsentissimum adhiberet remedium Hadrianus II. Pontifex Maximus & Nicolai I. successor, generale Concilium Constantinopoli celebrari jussit, quod imperante Basilio convocatum est anno 869. & est octavum Concilium Œcumenicum, seu quartum Constantinopolitanum, in quo damnatus est Photius, & Sedi Constantinopolitanæ restitutus Ignatius, sicut latius expendemus in sequenti Colloquio. Verum, hac damnatione nihilo modestior factus est Photius. Quamvis enim solido exilii sui decennio nihil aperte contra S. Ignatium, quem Synodi Œcumenicæ sententia, Romani Pontificis patrocinio, & Imperatoris Basilii gratia securum videbat, moliri ausus fuerit, eo tamen vix defuncto Sanctissimo Patriarcha, Phorius facilitate Imperatoris Basilii, & nimia Joannis VIII. indulgentia abusus, communionem Ecclesiæ, Sedemque Constantinopolitanam, ex qua detrusus fuerat a Concilio octavo generali, recuperavit; & inter utramque Ecclesiam, Græcam videlicet ac Latinam, perpetuæ discordiæ semina serere ac fovere non desistit. Quo factum est, ut post mortem Basilii Imperatoris Leo ejus filius & in Imperio successor, vulgo Sapiens cognominatus, Phorium in suo schismate perseverantem e Patriarchali solio dejectum in exilium ablegaverit, sicque extincto schismate, pax & concordia inter ambas Ecclesias, Græcam scilicet & Latinam, perseveraverit usque ad undecimum Ecclesiæ sæculum, quo Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus schisma Photianum renovavit, sicut ostendemus in nostris Colloquiis in Historiam undecimi Ecclesiæ sæculi texendo seriem Patriarcharum, qui ex sæculo Sedem Constantinopolitanam tenuerunt. Hic tantum breviter observasse sufficiat, Sifonnum II. Patriarcham Constantinopolitanum, qui ab anno DCCCXCVI. usque ad an. DCCCXCIX. sedit, tentasse quidem restaurare schisma Photii mittendo suo nomine Epistolam Encyclicam Photii ad Patriarchas Orientis adversus Latinorum de Spiritu Sancti a Patre, Filioque processione doctrinam, illud tamen schisma, cujus renovationem meditabatur, suscitare non potuisse, nec communionis vinculum inter utramque Ecclesiam Græcam & Latinam abrumpere. Sifonno II. in Sede Constantinopolitana successit Sergius, qui ejusdem ac Photius cum generis esset, ipsius quoque erga Romanam Ecclesiam invidentiæ hæredem se se prodidit, & eandem a Phorio in eam jactas calumnias reficuit, coactaque Synodo confirmavit. Falsum tamen est quod dicitant recentiores Græci Schismatici, hunc Sergium Patriarcham Constantinopolitanum nomen Romani Pontificis Sacris e Diptychis expunxisse, & negotium sepa-

rationis Ecclesiæ Græcæ a Latina ad exitum perduxisse. Id, inquam, falsum esse tribus momentis evinci potest. Primo, quia Petrus Patriarcha Antiochenus circa annum MLIV. Michaeli Cerulario asseveranter hunc in modum scribebat: *Ipse quoque testis sum irrefragabilis, & alii necum plerique ex Ecclesiasticis Primatibus sub Beatissimo Patriarcha Joanne, Pontificem Romanam, & ipsum Joannem nuncupatum, in Sacris Diptychis commemorari. Et ante annos quadraginta, & quinque Constantinopolim cum appulisset sub beatæ memoriæ Sergio jam dictum Papam, inter sacra Missarum solemnè cum aliis Patriarchis commemorari audivi. Quomodo vero postea ejus commemoratio erasa sit, & quam ob causam ignoro.* Hanc Petri Antiocheni Epistolam refert Leo Allatius lib. 2. de perpetua confessione cap. 1. Præterea, tantum abest ut Sergius Patriarcha Constantinopolitanus schisma renovaverit, ut potius sub Eustathio, qui post Sergium Patriarchata Constantinopolitano ab Imperatore Basilio Bulgaricida donatus fuit, pax, & concordia inter utramque Ecclesiam Latinam, & Græcam adhuc vigeret. Narrat siquidem Leo Allatius ex Galbro Rodulpho Monacho Cluniacensi, qui hac ipsa ætate scribebat, Eustathium in Sede Constantinopolitana successorem Sergii, & alios Græcos Romanos missos esse cum muneribus, atque a Summo Pontifice Joanne XIX. postulasse, ut liceret Constantinopolitanam Ecclesiam in suo Orbe, velut Romanam in universo, appellari universalem, idque Joannem Papam paratum fuisse Græcorum votis clanculum annuere; fuisse vero deterritum gravissimis litteris Willelmi Abbatis Monasterii S. Benigni Divionensis. Quod sane manifesto probat nullum tunc temporis extitisse schisma Græco-inter, & Latinos. Denique, Manuel Calecas Auctor Græcus Ordinis Predicatorum lib. 4. adversus Græcos, & Anonymus MS. libelli de Translationibus Episcoporum apud Leonem Allatium lib. 2. de perpetua confessione cap. VIII. affirmant, septemdecim Sedis Constantinopolitanæ Patriarchas, qui Photio usque ad Michaelæm Cerularium successerunt, pacem, & communionem cum Italis, seu cum Ecclesia Latina habuisse. Quæ omnia evincunt, Schisma Photianum non fuisse, nisi undecimo Ecclesiæ sæculo, instauratum a Michaeli Cerulario Patriarcha Constantinopolitano, qui Romani Pontificis nomen e sacris Diptychis expunxit, & Ecclesiam Græcam a Latina penitus separavit. Sed de Schismate a Michaeli Cerulario suscitato fuse disseremus in nostris Colloquiis in Historiam undecimi Ecclesiæ sæculi. (b)

„ (a) Photii cavillationes hæc nullo validiori „ argumento refutari melius arbitror, quam pro- „ ducto in medium judicio Theophylacti, viri „ schismati Græcorum addictissimi & in Latinis „ maxime infensi, adversus quos opusculum scripsit „ de erroribus Latinorum, postremis hæc annis „ vulgatum legendumque in nova editione Theo- „ phylacti Veneta an. 1752. Hæc vero ibi: *si ve- „ re eo dogmate recto constituto (nempe de pro- „ cessione Spiritu Sancti a solo Patre) ac novi- „ tate sublata (nempe additamento ad Symbolum)*

H 2

pres-